PRÆFATIO.

CUm poſt ſtudium Artis Medicæ per aliquot annos & ſub Parente Medico, & in Academia Heidelbergenſi, ac Duisburgenſi Regia excultum conſtituerim, Gradum Doctoris in Arte Noſtra ambire, & ſenſim me ad Praxin Medicam applicare, antequam ſtudiis Academicis valedicerem ex more conſueto, poſt examina debita, ſpecimen aliquod profectuum, ut edere debui, ſic lubens volui. Circumſpicienti mihi autem, de qua materia Diſſertatio eſſet ſcribenda, viſum eſt opportunum, non me immiſcere ſubtilibus Anatomicorum novisque corporis humani diſquiſitionibus, aut Spinoſis Theoriæ Medicæ ſublimioris Speculationibus; potius mihi conveniens judicavi, tanquam Praxi Medicæ maxime incubituro, eligere materiam Practicam. Nolui vero morbum ſatis frequentem & obvium, ſæpiusque ab Aliis excuſſum Academicis Diſſertationibus, proponere;

merebatur morbus rarior Hydrops Pectoris, accuratam diſquiſitionem; quam Hydropis periculoſiſſimi ſpeciem, in Caſu Practico à Præceptore mihi communicatam, pro virium modulo inquirere, & ad Normam partim Caſualis Exercitii, partim Diſputationis publicæ elaborare conſtitui. Credebam Caſum Ægri tali morbo laborántis, & inde tandem defuncti, lucem poſſe addere junioribus Practicis, mihique ipſi, in Diagnoſi, Prognoſi & Rationali Curatione morbi gravis, ſi forte aliquando tractandus occurreret. Fateor pauca a me ipſo profecta me traditurum; ſed quis vitio vertat Juniori Medico, ſi, praxi ipſa nondum confirmatus ſatis, in Specimine Inaugurali proponit ea, quæ a Præceptoribus hauſit & ex meliorum Authorum lectione collegit. Ignoſcat ergo Lector, ſi difficilis Affectus Hiſtoriam tenuiter elaboratam a me accipiat. Nam:

Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.

Sed ſine ulteriori diffuſiorique præloquio ad rem ipſam accedo.